



**R. P. Ferdinandi De Castro Palao, Legionensis Soc. Iesv,
Sacrae Theologiae Professoris, Et sanctae Inquisitionis
Qualificatoris & Consultoris; Operis Moralis, De Virtutibus,
Et Vitiis Contrariis, In ...**

Continet Tractatus De Conscientia, De Peccatis, De Legibus, De Fide, Spe,
Et Charitate

**Castro Palao, Fernando de
Lugduni, 1669**

2 Qui[d] sint actus spei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76540](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76540)

6. Ex his constat quod sit obiectum formale spei, affirmo, inquam, esse Deum visum nobis convenientem. Nam illud est formale obiectum alicuius voluntatis actus, quod mouet ad sui appetitum, & desiderium. At Deus visus mouet nostram voluntatem, ut ipsum appetat & desideret, quia sibi est bonum conueniens. Ergo hoc est obiectum formale spei, & ita tenet cum D. Thom. ferè omnes eius expositores, Bannes *art. 5. versic. nota secundò*. Suar. *disp. 1. de spe. sect. 2. concl. 3.* Coninch. *disp. 19. dub. 4. n. 52.* & alij apud ipsos.

7. Ex obiecto materiali, & formali huius virtutis inferitur distinctio quam habet à fide, & charitate. Nam licet fides, & charitas Deum respiciant, illamque habeant pro formali obiecto, sub diuersa tamen ratione, ac spes. Nam fides respicit Deum, ut testificantem verum, charitas ipsum respicit, ut in se summum bonum, summoque amore dignum. Spes attendit ipsum Deum, ut bonum sperantis, sic has virtutes distinguunt supradicti DD. Valent. *disp. 2. q. 1. punct. 2. in princ.* Suar. *suprà, tota sect. 3.* Coninch. *dub. 4. in fine.*

8. Quod si inquiras, an hæc distinctio sit realis, vel tantum rationis? Respondeo realem esse, neque enim sola rationis distinctio videret sufficere ad numerum constituendum. Atqui ex sententia Pauli 1. *Corinth. 13.* fides, spes, & charitas constituunt ternarium numerum virtutum. Ergo sunt inter se realiter distinctæ. Adde in quolibet peccante mortaliter perit charitas, & non perit fides, neque spes. Ergo distinguuntur adinuicem realiter, sic Suarez *sect. 3. in fine.*

PUNCTUM II.

Quid sint actus spei.

- 1 Duplex est actus prosecutionis, scilicet fuga.
- 2 Desiderare beatitudinem alicui potest esse actus spei si illam ut tibi convenientem desideres, si ut alteri convenientem, erit actus charitatis.
- 3 Desperare de beatitudine alicuius absque rationabili causa, est peccatum contra charitatem, vel iustitiam, vel fidem, secundum rationem, quam habes ad desperandum.
- 4 Ex gratia Dei, & ex nostris meritis speranda est beatitudo.
- 5 Bonum temporale sperare potest virtus spei.
- 6 Obseruare iustitiam ex timore gehennæ actus esse potest virtutis spei.

Respondeo in genere duplicem esse actum, alium prosecutionis in bonum sibi contentens, alium fugæ à malo sibi disconuenienti. Actus prosecutionis vocatur spes, actus fugæ vocatur timor. Ad eandem enim virtutem pertinet amare bonum & odio habere contrarium, quia sub eadem ratione uterque actus versatur, & inter se sunt ita subordinati, ut vnus alterum necessario inferat. Ergo ad eandem virtutem pertinet sperare bonum sibi contentens, & timere malum contrarium; uterque enim actus proprij commodum respicit. Sic tradunt ferè omnes DD. cum Dico Thoma 2. 2. q. 17. & 19. Difficultas autem solum versatur in explicando, qui sint ij actus: prosecutionis, & fugæ, seu spei, & timoris.

2. Et primò dubitatur circa actus prosecutionis, an tantum circa nostram beatitudinem, an etiam circa alienam spes versari possit? Quod est inquirere, an sperare, seu desiderare alicui beatitudinem sit actus spei? Quia in re omnibus variis argumentis, quæ inuicem congerunt aliqui DD. respondeo cum distinctione. Si desideres beatitudinem alterius, quatenus tibi bona est, quia sic accidentaliter saltem tua beatitudo crescit, tale desiderium est actus spei; si vero illam desideres, quia illi bona est, erit actus charitatis, sic docent expressè cum Dico Thoma & Aug. Valent. 2. 2. *disp. 2. q. 1. p. 1. pag. 446. versic. tertia particula.* Valq. in 3. *tom. 1. disp. 43. cap. 2. num. 6. & 7.* Coninch. *disp. 19. de spe. dub. 5. num. 64. in conclus.* Suarez *disp. 1. sect. 3. num. 19.* Ratio prioris partis est, quia si beatitudinem alterius appetis, quia tibi contentens est, potius bonum tibi, quam alteri appetis. Ergo ille appetitus ex amore concupiscentiæ, & non ex charitate, & amicitia procedit, sicut si tuo mancipio, aut equo salutem appeteres, quia tibi contentent, non tam bonum illorum, quam proprium procuras. E contra vero si beatitudinem alterius opres, quia illi bona est, & contentens, illius bonum optas, non proprium; ac proinde non ex amore concupiscentiæ, sed beneuolentiæ, & amicitia procedit, & consequenter spes esse non potest, sed erit charitas, quæ sit virtus theologica, vel moralis. Nam velle bonum proximo, quia illi bonum est regulariter ex honesta quadam amicitia, non ex charitate, virtute theologica procedit, & norauit Coninchus, *disp. 19. de spe. dub. 1. num. 11. & dub. 1. num. 67.* Neque obstat dictum D. Augusti. *serm. 11. de verbis Domini*, afferentis de nullius salute esse desperandum, ut inde colligamus ad virtutem theologicam spei pertinere sperare alicuius salutem, loquitur enim Dico Augusti. in latiori significatione spei, qua comprehendit bonum quodlibet speratum.

3. Quod si inquiras cui virtuti contradicatur, cum abque rationabili causa de proximi salute desperas? Respondet optimè

Coninch. *disp. 19. dub. 5. num. 68.* attendendam esse rationem, ob quam desperas. Nam si desperas, quia credis Deum non illi adfuturum suis auxiliis, & erras contra fidem, cum ex illa tenentis credere omnibus Deum esse paratum, & insuper offendis diuinam pietatem, & benignitatem, illique iniurius es sic malè sentiens. Si autem desperas de proximi salute, quia credis ex sua negligentia, vel malicia omisuram necessaria ad salutem, peccas contra charitatem, vel iustitiam proximi, timere de illo in re tam graui iudicando abique fundamento, quod esse non potest abique reuelatione nam etiam si perditissimus sit potest conuerti, & salutem consequi. Quod si ex odio, quo proximum prosequeris, talis desperatio procedit, contra charitatem illi debitam peccabis.

4. Secundò dubitatur, an speranti beatitudinem licitum sit illam sperare ex suis meritis, an solum ex promissione, & gratia Dei? Respondeo principaliter debere sperare ex gratia Dei, cuiusque promissione, secundariò ex suis meritis, ut à gratia Dei profectis, sic omnes Catholici cum dico Thoma q. 17. *art. 4.* Ratio est manifesta, quia inde speramus beatitudinem, vnde illam consequi possumus; sed ex gratia Dei primò, & secundariò ex nostris meritis, ut gratia Dei profectis consequi possumus æternam salutem, ergo ex utroque simul illam sperare possumus. Pluribus locis Scripturæ confirmare poteram, breuitatis causa omitto, quia res est clara videatur Valent. *part. 1. circa fin.* Hinc sic certitudinem nostræ spei fundari in auxiliis diuinis, & nostris operibus ex gratia Deifactis, quia ex his causis beatitudo obtinetur, & Deus illam sic dare promittit. Et quidem de auxilio diuino constat ex illo Triid. *sess. 6. c. 13. ibi. Vnumquemque in Dei auxilio firmissimam spem reponere debet.* Quod autem etiam in operibus diuina gratia fulcitur hæc spes niti debet, probat Paul. ad Rom. 3. *Gloriamur in tribulationibus, scientes quod à tribulatione patientiam operatur, patientia vero probationem, probatio spem, spes autem non confundit.* & 1. Ioan. 3. *Si cor nostrum non reprehenderit nos fiduciam habebimus apud Deum, & illud 2. ad Timoth. Bonum certamen certamus, fidem seruamus, &c.* Secundò si posse nos operari bene inuita, & ipse consequendi æternam beatitudinem, siquidem beatitudo in premium offertur bene operantibus ex diuina gratia, & docuit Trident. *sess. 6. c. 11. in fine. ibi.* Cum hoc, ut in primis glorificetur Deus, mercedem quoque intrentur æternam, & constat ex illo Palm. *Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes in æternum propter retributionem.*

5. Tertio dubitatur, an ex virtute spei sperare possis mercedem aliquam temporalem bonis operibus consequendam, v. g. salutem temporalem, ieiunio, oratione, & elemosynâ? Suppono licitum tibi esse ieiunium, orationem, & elemosynam ad hæc consequenda referre, quia licitum tibi est hæc à Deo petere. Ergo etiam licitum tibi est eius voluntatem inflectere his bonis operibus. Item Deus promittit obseruantiis mandata bona temporalia daturum. Ergo licitum tibi est obseruare mandata, ut sic promissum consequaris. Neque obinde debes dici seruus, & mercenarius, quia non seruis Deo ob illam retributionem reparatum animo non aliâ illi seruendi, sed potius paratus es saltem habitualiter omnia eius mandata seruire, est nullum temporale commodum tibi dedisset. Neque item obstat, quod rem superioris ordinis ad inferiorum referas, quando res superioris ordinis ex relatione ad inferiorum non omnino perit, ut patet in presenti, non enim perit oratio, & elemosyna ob talem relationem, sed apud Deum locum habet, aliâ tibi non liceret docere pueros obij aliquid temporale commodum, sufficit enim si hæc omnia acti vel habitu ad Deum referantur. Hoc supposito, respondeo, si temporale commodum, quod consequi optas medijs bonis operibus, velis illud obtinere, ut sic facilius beatitudinem consequaris, actus erit virtutis spei saltem imperatus, quia ab eodem modo procedit. At si ex nulla relatione ad beatitudinem procedit, credo non tam ad virtutem spei theologicam, quam moralem id pertinere posse, sic Suarez. *disp. 1. de spe. sect. 5. in fine.*

6. Quartò dubitatur circa mali fugam, an sit actus spei obseruare iustitiam ex præfido timore gehennæ? Et quidem si ita ex timore gehennæ iustitiam obseruares, ut voluntatem haberes iustitiam non obseruandi, si gehenna non esset, clarum est timorem illum esse malum, & peccatum, quia tunc gehennam præfers mandatorum obseruationi, & consequenter Deo, qui debet esse semper noster vltimus finis. In quo sensu dixit D. Th. 2. 2. q. 19. *art. 4.* seruilitatem semper esse malam quod clarè explicuit Augusti. in *lib. nat. & grat. c. 57.* dum dixit, Sub lege est qui timore supplicij, quod lex minatur, non amore iustitiæ se tenet abstinere ab opere peccati, nondum liber, nec alienus à voluntate peccandi: in ipsa enim voluntate reus est, quia mallet, si fieri posset, non esse quod timeat, ut liber faciat, quod occultè desiderat. At si ex timore gehennæ mandata diuina obseruas, alioquin obseruanda, etiam si gehenna non esset, actum virtutis spei efficit. Ut quid enim Deus nos timore peccatum continere voluit in iustitia si ex illarum timore moderari non possimus? Quapropter Trident. *sess. 6. can. 8.* contra Lutherum, definit: *Si quis dixerit gehennam motum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis delendo confugimus, vel à peccando abstinemus, peccatum esse, aut peccatores facere, anathema sit.*